



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiæ & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu  
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

**Comitin, César Jean-Baptiste**

**Coloniæ, 1709**

§.8. Quàm odiosum sit Deo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](#)

## DE TIMORE DOMINI.

31

millia peste consumpta, h̄ic diluvio populos, h̄ic incendio urbes. Videbis etiam pignora in scelere parentum intercepta, & vicissim parentes in puerorum. Videbis totam ab uno familiam damnatam, filios, nepotes, pronepotes, hereditariam luem, & nullius in morte morientem. Quod si in hac vitâ, quæ misericordiæ stadium est, tantâ atrocitate s̄ævitur etiam in amicos ; quid in altera putandum est, in qua puniuntur inimici ? nam si *incipiat iudicium à domo Dei*, quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio ? Et si justus vix salvabitur ; *impius & peccator ubi parebunt :* ( I. Pet. 4.)

### §. 8. *Quād odiosum sit Deo.*

Postremò tela in peccatum nulla tam acuta, quam Dei verba. Iratus est furore Dominus. Exacerbavit Dominum peccator. Tamen etus dolore cordis intrinsecus. Pœnituit eum. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem. Furor in Deo, exacerbatio, ira, dolor, pœnitentia, odium denique : quid terribilius ? Gravis ira Regum semper : Dei qualis & quanta ? mirum. Nihil odit eorum Deus quæ fecit, Tolle peccatum, viditque cuncta quæ fecerat , & erant valde bona. (Gen. I.) Pone peccatum. Non Angelus, non Homo, non

B 4

Mater

Mater, non Filius placere potest. Elephanto sanguinem ostendis. In furorem agitur. Omnia pessumdat, suos, alienos, servos, filios, & filium filiorum JESUM Christum. Dicam h̄ic, quod immenso horrore compleat. Plus unica labes Deum exulcerat, quam sanctorum placeant omnium omnia præclarè facta, dicta, cogitata, perpessa, quæcumque oīm aut fuere, aut nunc sunt, aut postea erunt. Attende, quid asseverem. In alteram lancem congere Abrahemos, Isaacos, Jacobos, Davides, Prophetas, Apostolos, Martyres, Virgines, sancta sacrâque omnia; in alteram unum peccatum appende: prævalet hoc omnibus omnium bonis, præponderat & descendit. O pondus immensum! O te Atlante fortiore! qui non cælum, sed inferos, sed omnibus inferis graviorem molem sustineas. Unde hoc, quæris? Offensa Dei est. En montes. En asinaria mola suspensa collo. Quantum enim Deus vertice ad auras æthereas, tantum ejus offensa radice in tartara tendit. Quem, quæso, ista, si non planè stipes est, & stipite omni stupidior, non percellant.

*Summa Capitis.*

Ergo ita digere. Vide 1. quæ Angeli pœna, temerariæ cogitationi inficta. 2. Adami, ejus-